

VAR. A

Q. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
*De*  
**CRIMINE  
CONATVS,**  
*Cuius*  
**PARTEM PRIOREM,**  
*Cum consensu ampl. Facult. Philosoph. in illustri ad AVRAM*  
*Athenaeo regio,*  
**PRAESIDE**  
*Viro Cl.*  
**MAG. ALGOOTHO A.  
SCARIN,**

*Hist. & Philos. Civil Profess. Reg. & Ord.*  
*publicae candidorum censuræ, in Auditorio superiori,*  
*boris ante meridiem consuetis,*  
*die XXII. Martii MDCCXL.*  
*modeste submittit*  
*ALVMNVS REGIVS.*  
**CHRISTOPHORVS LIGNIPAEVS**  
*ABOENSIS.*

---

*ABOÆ, excud Joh. Kiæmpe, Reg. Acad. Typogr.*

S:æ R:æ M:tis  
Magnæ Fidei VIRO,  
Dioecesis Aboensis  
EPISCOPO

&  
Regiae Academiae  
PRO-CANCELLARIO  
eminentissimo,

Reverendissimo Patri ac Domino

# D. JONÆ FAHLENIO

S. THEOL. DOCTORI.  
MAECENATI MAXIMO.

OB Gratiam.

Nullo. Non. Tempore. Praestitam.  
Praeconiisque.

Quibus. Par. Est.

Nunquam. Satis. Celebrandam.

Inque. Spem.

Clientelæ.

In. Posterum. Quoque.

Consequendae.

Cum.

Omnigenae. Felicitatis. Et. Prosperitatis.

Voto.

Hunc.

Tenuissimi. Ingenii.

Foetum.

Humillime. Consecratum. Cupit.

deuotissimus eliens

CHRIST. LIGNIPÆV.

VIRO summo reverendo atque amplissimo Domino,  
Doct. ANDREAE BERGIO,  
Regiae ad Auram Acad. S. Theol. PROFESSORI pri-  
mario & dioecesis Aboensis ARCHI-PRAEPSITO  
maxime inclito,  
MAECENATI MAGNO.

Maxime reuerendo atque amplissimo Domino,  
Mag. JOHANNI WALLENIO,  
Ad Reg. Acad. Aboensi. S. Theol. PROFESSORI  
longe dignissimo.  
PATRONO MAGNO.

I  
gnoscite, Maecenates & Patroni Magni, quod exiguis  
hunc pagellis, omni nitore destitutis, nomina vestra praefigere sustinuerim. Sed addidit conatus car' mira oris comitas, & ea non minor animi benevolentia, qua omnes & singulos, praeferim litterarum cultores, amplecti soletis; allexit fauor & insignia beneficia denique, quibus meas in angustum redactas vires, nullo non tempore sufficiuntis, sustinuitis. Cum verò nil habeam, quo tantorum in me meritorum magnitudinem assequi queam, hoc quantulumcunque munusculum in pii deuotique animi signum, qua pars religione & veneratione Vobis offero. humillime orans, dignemini, Maecenates Magni, fiduciam meam benigne interpretari, mesque spes atque fortunas Vestrae fidei in posterum quoque Vobis commendatissimas habere. Pro Vestro Vestrorumque perenni flore atque incolumentate Summum Numen spiriis & precibus, quibus conuenit, interpellare nunquam intermissurus.

Sum. reuer. atque ampliss Nominum Vestrorum.

clens humillimus  
CHRIST. LIGNIPÆVS.

*Viro admodum reverendo atque praeclarissimo*  
Dn. ANDREÆ DEGERMANN,  
Civitatis Jacobstadensis & ecclesiae , qvae DEO in  
Pedersöyre colligitur, PASTORI vigilantissimo, nec non  
adjacentis districtus PRAEPOSITO, dignissimo, ut praec-  
ceptorii antea fidelissimo, ita jam quoquis honoris &  
pietatis cultu aetatem suspiciendo, colendo,

*Viro consultissimo integerrimoque*  
Dn. ANIPHAE PARMENT,  
Civitatis Christinae CONSULI laudatissimo, patrui loco  
jugiter colendo.

*Plurimum reverendo*  
Dn. JOHANNI  
Scholae Wafensis CON RECTORI lauda  
Patronis & Fautoribus

*F*avoris benevolentie que Vestrae singularis, Patroni & Fau-  
xibere atq[ue] praefare voluistis, ad quemuis honoris cul-  
dere Proinde non potui non, in pii gratique animi tesseram,  
transmittere, certa spe atque fiducia confidens, Vos easdem  
cepistis, eandem in posterum mibi quaque praestituros. Pro-  
mum Numen interpellare

Admod. rever. ampl. consult.

bumillimus &  
CHRISTOPH.

Viro Nobilissimo atque Amplissimo

Dn. JOHANNI BORRE,

Per Ostrobotniam SECRETARIO provinciali tollerissi-  
mo, laudatissimo, Patrui loco omnis honoris cultu  
colendo, suspiciendo.

Viro consultissimo acquisitissimoque

Dn. SAMVELI BRINCK,

CONSULI apud NeoCarlehyenses laudatissimo,

atque clarissimo

MAEXMONTANO,

tissimo, affini carissimo, jucundissimo,

optimis & honoratissimis.

tores aestimatissimi, documenta longe maxima, quae mibi  
tuis reverentiamque declarandam, me obstrictissimum reddi-  
ingenii mei primitias basce academicas, Vobis offerre atq;  
benigne excepturos, & quam clientelam jam ante re-  
Vestro Vestrorumque perenni flore atq; incolumentate sum  
nunquam intermissurus

clariss. Nominum Vestrorum.

obseruantissimus cultor

LIGNIPAEVS


CHRIST. LICHENBERG.

Denen Wohl-Ehrenwesten / Vorachtbaren und Be-  
nahmten Herren /  
Herr ISRAEL HANSSON,  
Und  
Herr JOHAN STRANDHEIM,  
Beyderseits vornehmen Bürgern und Handels-  
Leuten in der Stadt Wala  
Meinen Hochge-Ehrten Herren Vettern und Sönnern

HÖCHWEHRESTE ich hab so viele gunst genossen  
Von EUER wehrten huld, die fordert dankbarkeit;  
Ich sinne stets darauf, mein Herz ist unverdresen,  
Allein es fehlt an taht und an gelegenheit;  
Gedech EIGE sind gewohnt den willen anzunehmen,  
Wenn gleich das werct nicht will sich recht dazu beqwāmen  
Sie sind die erstlinge von meinem schlechten fleise,  
Zwar ein ger'ng geschenck für EURE große güt,  
Doch dennoch irr' ich nicht, wenn ich es mir verheiße,  
Das Ihr seht alnstia an, der ersten jugend blüft;  
Die ich Euch beiderseits hiemit wil überreichen,  
Als der Erkentlichkeit und Liebe treues zeichen.  
Der Himmel segne lebst, so Euch, als EUERN Handel  
Er gebe glück und heil zu allem was Ihr treibt,  
Er führe Euch alstets zum wahren tuzend wandel,  
Er segne Eür Geschlecht, das es gesegnet bleibt;  
Bestralet sever mich mit EUER liebe blicken,  
Bis Ihr EUCH lebens satt werdt zu der ruhe schicken.

EWr' Wohl-Ehrenwesten Wohl-Ehr:

Gehorsamster diener  
CHRIST. LIGNIPÆUS.



## PROOEMIUM

*Viam ad institutum pandit.*

 Nter cetera sapientiae et bonitatis docu-  
menta longe maxima, quibus genus hu-  
manum exornare voluit *summus rerum  
humanarum ARBITER, vivendi regulam*, cuius in omnes  
homines, immo vitae partes omnium quoque, v-  
sus sese diffundit; infimo neutquam loco ponendam  
esse, existimauerim. Dicitur illa ab Apostolo omni-  
um hominum cordibus inscripta, tantaque semet  
& dignitate & necessitate commendat, ut per ean-  
dem ab omnibus aliis creaturis non solum distin-  
guatur homo; verum in omnibus actionibus etiam,  
quae ad felicitatem in vita communis obtinendam  
faciunt, instar splendidissimae facis praeluceat; sine  
qua nulla omnino datur vitae dirigendae ratio, nul-  
lus rerum gerendarum ordo. Ast juxta dolendum!  
etiam, per prauitatem ingenii humani malitiamque,  
tantis tenebris inuolutam & perinde perplexam mul-

3

tis, etiam in p<sup>re</sup>ceptis communissimis haberi hanc legem, ut ab illis instrumentis & machinis, quibus palam & occulte legis huius fundamenta conuellantur, quam quibus adstruantur, paratores hodie plurimos offendere liceat. Hinc adeo in publicum missam esse nequitiam, & in omnium peccatoribus inualuisse, SENECA suo aevo quoque ingemiscit, ut inualecentis morbi vim poena nulla prope sistere possit, neque locus aliquis aut securitas innocentiae supersit. (\*) Originem & fontem mali, effatum illud non obscurè indicat; & regnantis peruersi moris non aliam magis liquidam dari posse caussam innuit, quam quod mortalium admodum multi non sint illi, qui inter agendum secum ipsis primum agant, suique pectoris penetralia rite executant: plures autem illi, qui, si societati nil aduersum opere in ipso, idque curti publica infamia coniunctum perpetrauerint, existimant illico, nullo insuper crimine semet obligari, nullo in foro, praefertim humano, improbitatis charactere notari posse multarieue. cum ramen interna hominis & actionis qualitas, eiusque cum fine creationis conformitas, illa sit omnino, quae actionem specificet, illa ad bene beateque vivendum plus conferat, quam quae in sensu incurrit, honestatis falta saepe species. Dico externae & ciuilis actionis seaturiginem & fundamentum esse ipsam mentis habitudinem, eiusque ad recte, an vero secus, agendum

(\*) Libr. de ira.

dum, internam propensionem. Hinc est, quod in  
criminibus attentatis, praetertim grauioribus, il-  
lam animi dispositionem & destinationem prauam  
in rationem venire debere, omnes saui contendant.  
Nobis cum *SOCRATICUM* illud effatum: *animi vitio*  
*magis quam eventu, maleficium esse censendum, indolem*  
*ipsam hominis exprimere videatur; eius ad cete-*  
*ra animantia habitudinem, adeoque rationem ipsam,*  
*cur sua homini actio imputetur, ostendat; de cul-*  
*pae omnis iniquitatisque, quae vitam hanc pre-*  
*munt & afficiunt, scaturigine, mentis puta, ad ma-*  
*le agendum instigatione eiusque motus & CONA-*  
*TVS imputatione, pro modulo ingentili, pauca dis-*  
*serere constituimus. Ut vero Tu, L. B. *conatum* q*  
nostrum, in explicando argumento difficillimae p  
discussionis, pro candore, qui bonos decet, inter-  
preteris, est quod enixe rogo & obtestor.

## §. I.

*De imputatiuitatis fundamento inquisit;* illudque  
spontaneitatem esse adfirmat.

**P**Riusquam ad ipsum institutum, seu quid ver-  
bis in rubro allatis intellectum volumus, nos-  
met accingamus, non abs re esse videtur, pauca  
in genere de actus huius, puta *conatus* imputatiui-  
tate, eiusque fundamento praemittere. Super illam  
enim substructionem rite positam, paries inde &  
omnis operis compages ducenda est, Indidit sum-

num! Numen hominis voluntati insignem prae certis animantibus, potentiam, quā intrinseco impulsu, citra necessitatem internam tamen, sele mouere potest ad faciendum, quod ipsi arrideat, & omittere, quod creationis fini non conueniat. Hanc facultatem vulgo *spontaneitatem* appellamus, fundatumque omnis in mente humana, motus rationalis esse dicimus: illam *conatus* & contentionis omnis, & demum imputatiuitatis actionum humanarum principium ponimus, licet non proximum sed remotum, quemadmodum id ipsum sequente vi-  
 suri sumus. Nam ut actionis cum virtute aut vitio perficiendae cogitationem quis suscipere possit, ut prepositum & *conatum* agendi suum rite explicare, quin, actionis vel omissionis effectus in eundem ceu auctorem denique redundare queat, necesse est in subiecto reperiri potentiam quandam decernendi, libertatemque ad effectum promouendi rem ab intellectu repraesentatam. Et certè ni illud concederetur, vili negre praemio, neque poenae in hoc humano genere locus superesset aliquis; nullas diuersimode institutas reflexiones sibi formare quisquam, non finem certum, idque libere propone-re; non conari, h. e. ad obtainendum eundem efficaciter sele mouere posset. Quin, omnis etiam tolleretur moralitas, deficeret pulchritudo & perfectio vitae humanae, fieretque, ut ultra prima illa, quae *naturae* uniuersae insita sunt, homo nil sape-ret, ab interiore animantium genere neque distarer.

qvid

quidquam. Quo enim titulo, quaeſo! rei alicuius  
commissio vel omissio illi posset praecipi, inculca-  
ri & denique imputari, qui per vrgentem intrin-  
ſecam vim in alterutrum oppositorum necessario  
terretur, & ad certum, fixum & indeclinabilem a-  
gendi modum per naturam adstringeretur? Vanus  
vtique & irritus hic foret labor. Bruta animantia  
ad vnliformem agendi modum creata esse, docet satis  
superque ipsorum natura, quam si paulo intimius  
examinare volupe fuerit, nullam in ipsis spontanei-  
tatem reperiri, primum erit videre; verum im-  
petu naturali, puta affectuum & appetitus lensi-  
tiui sui, velut pondere quodam, in obiecta trahi,  
vt non possint non, ceteris paribus, ea vel proſe-  
qui vel auerſari. Nullus electioni, nullus arbitrio  
locus. Quare fundamentum imputationis omnis hu-  
manae actionis est, quod ad eandem libere, quacum-  
que ratione, certo consilio & destinatione con-  
curret, de qua in sequentibus. Omne negotium  
breuioribus verbis, sed argutâ sententiâ complexus  
est eximius nostri aeui philosophus ex Gallis, cum  
de indole brutorum primum, mox hominum, in  
hunc modum differit. Non eligunt ait, bestiae, aut ſeſe  
ad agendum determinant, aut rerum cauſas inquirent. Nam  
quae junt unius generis, uno & eodem modo operantur,  
quod vel a naturâ, vel ab obiectis ipsis ita determinentur  
ut nullum habeant in ſuos actus imperium; hoc vtique quod  
fortius alicet, omnino sequuntur. Homo autem, cum fit  
ille compoſit mentis ſuae, ita ut poſſet obiecto cum cura & co-  
gitatione

gitatione ineum bere, rationes bonitatis & malitiae eruere & iuxta legis, quā imbutus est, normam librate, aliud ex ario colligere, eligere & denique inferioribus facultatibus motum iniungere; qualis requiritur ad producendum actum: unde est, quod actuum non illorum modo, qui mediate se se exerunt, sed & internorum impulsuum, quos absolute in sua potestate habet, rationem reddere teneatur. de qua indole actuum humanorum deinceps. Atque inde conatus crimen, h. e. declarationem ad culpam & poenam, eiusque imputationem, descendere, non difficulter quisque videre potest.

## §. II.

**A**sserit nullas alias actiones homini imputari posse, quam quae cum destinatione quadam agendi vel omittendi coniunctae fuerint; ideoque proaeresis imputationis fundamentum proximum esse adfirmat.

**L**icit itaque solus homo sit capax actionum moralium, inque ipso reperiatur principium quoddam internum imputabilitatis; non tamen ipsi imputari possunt aliae actiones & omissiones, quam quae cum destinatione quadam & proaeresi agendi vel omittendi coniunctae fuerint, qvem admodum ex ante dictis patet partim, pleniū autem ex dicendis patescer. Illae namque actiones, quae non libere, sed inuitio eodem sunt, quoconque de-

7

num modo, violentiae aut ignorantiae non vincibili, peractae fuerint, quatenus perficiuntur a principio, non aliquam liberam operandi faculteta ipsi indulgent, eatenus ipsae non imputari, neque agens reatu aliquo, siue culpare, siue poenae multari potest. Animi intentio est, quam circa singulas actiones respicit Deus, immo quam spestant homines etiam, quatenus illa ex circumstantiis patescit. Nullam actionem probabit Deus, quam non produxit bona intentio; nec communiter homo probabit, si qualitatem intentionis nouerit. Adeo ut intentio sit quasi forma actionis, cuius relatu praecepit habetur vel bona vel mala. Et quemadmodum intentio bona, licet effectus non sequetur optatus, laudem meretur; ita in criminibus destinatio male agendi, prout intensior illa remissio fuerit, non praeceps exitus spectatur. Pro aereis itaque fundamentum est imputationis proximum. Nulla enim, dicit Pufendorf (\*) propior ratio est, quare alicui actio quicquam imputari possit, quam quia ab isto sciente & volente, mediate aut immediate, profecta est; seu quia penes ipsum fuit, ut fieret vel non fieret.

§. III.

*Quid & quotuplex Conatus sit indicat.*

**H**ilce, in modum propylaei, praemissis praepositisque ad ipsius rei tractationem proprius nos

(\*) Libr. de off. H. & C. c. 1. §. 17.

8

accingimus. In exponendis autem vocabulis, quae  
in frontispicio conspiciuntur, moras necesse, tanto  
minus necessarium erit, quanto certius persuasum  
nobis, unum quemque Romani non ignarum idio-  
matis, primo statim intuitu sentire, quid illa sibi  
velint. Ne tamen, quod ab aliis obseruari solet,  
impraesentiarum praetermissum videatur, ab officio  
nostro haud alienum erit, paucis indicare, quid  
ijsdem intellectum velimus. Vocabulum *conatus* a  
primitivo suo *conari* descendere & apud latinos scri-  
ptores idem ac niti & operam dare, ut aliquid fiat,  
significare, lexicographi consentiunt vniuersi. Hinc  
*conatus* est voluntatis propositum, studium &  
decreta aliquid faciendi vel omittendi. Hic autem  
prout cum lege conuenit aut disconuenit in *bonum*  
& *malum* comode dispescitur. *Bonus* est *conatus*, quum  
quod Lex praecipit, facere, & quod eadem vetat,  
intermittere, pro scopo quis habet. E contrario au-  
tem *malus* dicitur, quando quis actionem quandam le-  
ge prohibitam peragere & praeceptum omittere in-  
tendit. Vtrinque non merum animi propositum, sed  
actus forinsecus sese exerens & apparatu nullo non  
ad finem obtinendum proportionato insistens intel-  
ligitur (\*). Alterum vocabulum est *crimen*, quod,  
si stilo vulgari loquendum, per peccatum breuissi-  
me exprimitur. Hoc autem esse *ayous*, seu trans-  
gressio-

(\*) Cf. 1. Sam. XVIII, 25, ubi emphatice sacer scriptor  
exprimit Saulis conatum occidendi Dauidem: oī saul for-  
ester at falla David igitur in theophilicis hand.

9

gressionem legis, omnibus, qui nullum a naturâ & scriptura diportium facere volunt, in propatulo posita res est. Atque ita per crimen conatus illud intelligimus delictum & peccatum, quod contra legem quis facere vel omittere decrevit, & ad illud perficiendum nullam non molem mouet atque machinam. De conatu huius generis, qui crimen inuoluit, insuper tenendum, quod prout ab effectu longius aut proprius distans sit, eò in remotum & proximum quoque non ineptè dilpetci possit. Re-  
motus in vitroque foro, praecipue vero soli huius, minus grauat; proximus autem damni & directio-  
nis, nec non scandali sui intuitu, fraudis & iniuriæ nullatenus ferendae nomine venire solet. Nam quem ad modum primus motus & conceptus cu-  
juslibet rei priusquam altius se insinuauerit animo,  
saeppe corrigitur, saepiusculè penitus rejicitur; ita  
quoque conatus primus ab actu ipso longius distans,  
minus attenditur, quam qui in animo diu conce-  
ptus, iam per signa externa in luce ipsa, omnium-  
que oculis versari incipit. Caeterum quum cona-  
tus aliter in foro diuino, aliter in foro humano,  
in lege scripturae aliter, aliter in naturae lege at-  
tenditur; proinde viriusque fori rigorem leuiter ex-  
aminare lubet.

#### §. IV.

Legis moralis rigorem circa actus & motus et  
iam internos examinat.

B

Ad

**A**d forum diuinum quod attinet, rationem omnium & inclinationum & motum, adeoq; cogitationum, quae ex naturâ labi infectâ proueniunt, reddendam esse, edocet satis superque sacrarum litterarum auctoritas. Deus enim tunc ille ~~καρδιογνώσης~~ non exterritorum operum modo, sed etiam internorum motuum cum lege conuenientiam praecipit, intendit, contra quam quicquid committendo aut omittendo peccatum fuerit, reatum poenae involuit, a qua, nisi per Christum, redemptio sperari nulla, neque per se aut naturâ suâ, venia impetrari potest. Atque sic non solum voluntaria peccata, quae ex plena pro-aeresi & libero hominis assensu perpetrantur, peccati propriæ dicti rationem habent; sed etiam inuoluntaria; quidquid cum suis asseclis, puta moralitatis pontificiis, GROTIUS dissentiat, cum de habituall concupiscentia, inuoluntariis & ex ignorantia inuincibili, infirmitate aut metu admissis addubitat, utrum, quem ad modum actualis illa, pro peccato proprie sic dicto haberi & a iudice Deo imputari queant. Peccatum enim ait, esse non potest, nisi quod liberè fecit. (\*) fecus quarti Apostolus & SALVATOR ipse disertis verbis: (\*\*) immo gentilium mortatores quoque iudicarunt, pronunciarunt. Verum cum sit alius fori illa dissertatio, ad nostrum institutum nos iterum reuocamus.

## VI. §. V.

Fori interni s. conscientiae rigorem perpendit.

Fori

(\*) Libr. II. c. XX, §. 19. (\*\*) Rom. VII. v. 7.

11

**F**ori divini in sacris rigore viso & per transennam,  
quod dicitur, expenso, ad forum internum,  
puta conscientiae, quae ex principiis practicis seu  
lege congenita oritur, pedem iam promouemus,  
expensuri, utrum *actus interni* & *eliciti criminis* quis  
*inuoluant*, licet in externos non prorumpant? Heic  
qui ad lineam & limam illam, quâ distincte refle-  
xit homo super cogitationes & conceptus suos, pu-  
ta rationem, rite perpenderit animi sui suggestio-  
nes & commentationes; in quantum tendant illas  
ad perfectionem & conseruationem generis humani;  
nec ne, quae illarum indoles & ad legem habitu-  
do sit, non difficulter perspiciet. Pro diuerticulo ab  
ista norma, ceu sine creationis, majore minoreue,  
in praeuaricationis culpam incurret quisque etiam  
maiorem minoremue, licet externo opere nullo se  
adhuc exprimserit male sani animi institutum. Re-  
quirit namque lex non externam operum & cor-  
poris membrorum modo cum mente diuina, cu-  
ius apographum mens humana est, conformitatem,  
sed quam maximè internam, adeo ut quicquid con-  
tra eandem vel agitur vel concipitur, peccatum  
inuoluat & poenam mereatur. Interim quem ad  
modum mens per certos veluti gradus progreditur,  
dum primo rem simpliciter apprehendit, deinde va-  
riis agitatrum stimulis ad eandem consequendam; tan-  
demque antegressa deliberatione eam efficaciter in-  
tendit, inque ea magnopere delectatur: ita etiam  
primus motus, qui nihil aliud est, quam simplex

apprehensio, a peccato quidem est immunis, quum sit  
ille ex conditione naturae proueniens, hominemque  
quatenus homo est, afficiens. Qui primum subsequitur  
& cum voluntatis quadam propensione aut auersatio-  
ne coniunctus actus audit, licet studium & amorem  
objecti identidem preferre videatur, indifferens  
non ille minus censetur tamen, quamdiu non ad-  
senserit homo eundemque adprobauerit. Tertius  
autem, qui cum plena adprobatione, determina-  
tione & nisu quodam objecti declinandi secumue  
yniendi, coniunctus esse solet, qui formale actionis  
audit, quin moralitatis, hoc est, bonitatis atque ma-  
litiae in relatione ad legem, capax sit, nemo sanus  
facile inficias iuerit. Et certe vesanae mentis sit, ne-  
cessere est, qui ex. gr. inuidiam affectatam, animi elati-  
tionem, iram, contemptum intra pectus latirantem, vi-  
tia esse detrecter, quamvis per externa signa, puta  
verba, gestus & facta in sensu aliorum non incurvant.  
Sunt non ignota philosophorum magna nomina,  
qui cum GROTI, sed ex alio fundamento, actiones  
internas in registerio I. N. parum commodo  
& idoneo loco reponi posse putant, nimurum, qua-  
tenus non laedunt societatem humanam. Verum  
cum sit illud a nemine ad huc euictum, quod non  
indirecte & in laxiori significatione sua etiam illi  
actus ad societatem, certe ad aliud pertineant, ex  
iisdem quoque ius & obligationem oriri manifestum  
est. Quae de cogitationum conatu iuuandi & op-  
primendi & perinde moralitate ac poena horum actu-  
um

um ex sacris pandectis peti possunt, nunc non mo-  
 ueo. Gentilium philosophorum scripta, cui euolu-  
 ere volupe fuerit, cum admiratione eos profano  
 ore, verum mente & sententia, adinstar Christi-  
 anorum, de hoc argumento egisse deprehendet.  
 De religionis & iuris diuini summa, DEO pura  
 mente colendo, de interiore homine, praecipue  
 vero voluntatis ad legem socialitatis conformatio-  
 ne, de pura ad DEum mentis oratione, de carnis &  
 animi lucta, & demum victae voluptatis bellâ at-  
 que laeta conscientia, EPICETVM in enchiridio quis  
 sine stupore legere potest? Cedro certe & marmore  
 digna sunt verba SENECAE de aestimatione ho-  
 rum actuum: omnia inquit, scelerâ, etiam ante effe-  
 ctum operis, quantum culpae satis est, perfecta sunt (\*).  
 Ad Nouatum etiam cum aliquando scriberet, quem  
 ad modum ira possit leniri, irasci homines non  
 illis tantum, qui laeterunt, memorat, sed & his,  
 qui laesuri, bâ enim, ait, ipsa cogitatione nos laedunt,  
 & iniuriam qui facturus est, iam facit. (\*\*). Sic et-  
 iam eos adulterio se contaminasse, qui spurcas &  
 impudicas cogitationes prauasque lubidines foue-  
 runt, passim in scriptis eius inuenire licet. Sic vir-  
 ginem incesti damnat, cuius corpus violatum non  
 est, his verbis: incesta etiam est sine stupro, quae cu-  
 pit suprum (\*\*\*) quâ sententiâ gentilis philosophi,  
 quid ad effatum prophetae (\*\*\*\*) ipsiusque Sal-  
 monis et reg. ait, in manu reg. sub nomiato-  
 (\*\*) de Const. ap. C. VII. (\*\*) de Ira lib. I. c. III. (\*\*\*\*)  
 Rab. libr. VI. contr. 8. (\*\*\*\*) Jer. V. 8. Amata (\*)

14  
uatoris (\*) conuenientius quaeso! proferri potuit? Pergit vltierius *SENECA*, illum latronem vocans, qui nulla adhuc externa vi usus est. *Latro* enim est, inquit, antequam manus inquinet, qui ad occidendum iam est armatus, qui habet tantum spoliandi atque interficiendi voluntatem. (\*\*) Proinde *VINTILIANVS* non inepte: Non tibi proderit dixisse: non feci. Nunquam mens exitu aestimanda est, satis est probare animum parricidae. (\*\*\*) De avaritia & prava cupiditate iniusti lucri eleganter atque venuste loquitur *GELLIVS*: etiam hoc meminisse, inquit, debemus, furtum sine ulla quoque attrebatatione fieri posse, sola mente atque animo, furtum ut fiat, annidente. (\*\*\*\*) Hinc per se patere arbitror actus internos, quatenus in externos influunt, aut certe eodem tendunt, in aestimationem moralem omnino venire; grauemque culpam sustinere non illum minus, qui furtum, caedem & adulterium meditatus fuerit, quam qui perpetrata abominatione omni ista, legem publice & cum aliorum scandalo violauerit.

### §. VI.

*Conatum crimen involvere vltierius ex consequentiis probatur.*

*C*onatum male agendi licet ad ultimum finem non dum peruentum fuerit, per se nihilominus

(\*) *Matth.* V. 27. (\*\*) *de Benef.* lib. V. c. 14. (\*\*\*)  
*Decl.* 281. (\*\*\*\*) *Lib.* I. 8.

25

aut crimen esse vel ex consequentiis, aut si dicere  
maius, fructibus, qui ex illa radice proueniunt &  
in fruge immane quantum decipiunt, appareat. Nam  
qui cupiditatibus male tanis indulgent, & in ipso  
statim limine adeo non supprimunt, ut viam, qua  
explere queant, sectentur potius, in eum statum  
facile deueniunt, vt consilium mutare, abs proposi-  
to reuerti & impetum male agendi deinde cohi-  
bere non nisi aegerrime queant. Quae enim tor-  
rentium aquarum indoles est, vt rupto & perfoisse  
repagulo, artem & imperium humanum difficulter  
inde admittant: eadem quoque malarum cupidita-  
tum indoles est, postquam iueterauere, pondere suo  
premunt, non nitentem viribus instruunt solum,  
sed aduersus omnem medicinam quoque ne resi-  
piscat, contumacem suique propositi tenacem effi-  
ciunt. Hoc in iis saepenumero obseruare licet, qui  
pulchritudine rei speciolae, sed tamen illicitae ca-  
pti, phantasiae indulgendo, magis magisque ita in-  
flammantur, vt quid primum, quid deinceps, quid  
ultimo agendum, plane ignorent. Quemcunque  
affectum ipsis obiecerint turbidae cupiditates, seu  
habendi cupiditas, seu superbia, seu impatientia vi-  
tionis, illum assiduum in animo habent, illum men-  
tis oculis dulci studio alunt, idque vt plurimum eo  
vsque, vt negotia opere necessario magisque utili  
peragenda, pree impetu cogitationum & conatu-  
rum molesto excludant foras, & eorum plane  
obliuiscantur. Ea namque attestante Scheffere (\*)

(\*) Ad Rom. p. 3.

est.

est conditio flagitosorum , ne postquam semel frenum  
 sceleribus dederunt , non possint eorum , cest velint , reuocare  
 cursum , jamque scelerati esse cogantur . Prauarum ve-  
 ro lubidinum latellitium : mentis dolorem & anxie-  
 tam , tumultum , tristitiam , metum &c se exere-  
 re & exhibere solere non illorum animis solum , qui  
 humi repunt & flagitiosa parturiunt , sed & illorum  
 conscientia , qui nullius , nisi Dei legibus subiecti  
 esse volunt , id exemplis , nisi actum agere pro-  
 hiberemur vulgato prouerbio , infinito numero , pro-  
 bare possemus . Igitur cum mali die nocteque suum  
 gestent in pectore testem , puta conscientiam , ean-  
 demque non consummati modo , sed & cogitati par-  
 ricii , vindicem & poenae exactorem ; ille qui ef-  
 ficit , ut inter dormiendum quoque magna cum tre-  
 pidatione euigilauerit . Nero , eorum , quae impie  
 destinauerat , euentum opperiens : mirari subit da-  
 ri non e vulgo philosophos , qui licet cum Hobbe-  
 sius justitiam naturalem non penitus negauerint , e-  
 andem tamen non praecise internam rectitudinem  
 & obedientiam intendere , sed externo ordine sal-  
 tem & ad mensuram praelentis vitae conformata  
 professione doctrinae adquiescere , pro vero yendi-  
 rare non addubitent . Quae si pro vera absolute  
 assumenda esset hypothesis , neque aliqua ex Jure  
 N. interna daretur obligatio , non poena , quae in  
 ciuitate quoque conatui infligi solet , iusta statuer-  
 tur vlla . Si in actibus vitae huius a se , in se & suum  
 genus saltem quisque determinaretur : non quod  
 quis

quis mente consolerata agitauerit nefas, sed quod cogitationis fines excessit & in actum prorupit facinus in culpam & imputatiuitatem incurreret, quis non videt hypocritam, profanum, sui ipsius ideo lumen & denique dealbatum iepulchrum hominem demum evasurum? quae quantum ad socialitatem conferat hypothesis & humani generis conditio, facile quisque videt. Scilicet ichediasmata nouo idq[ue] sub specie singularis pietatis, circa initium seculi currentis, anonymus probare conatus est lumen naturae ita tenuis esse, ut quamquam eidem forte innotescat enormia facinora, quae corporis membris perpetrantur, non esse committenda: quae subtiliora sunt, & mentis *augustale* illud non egrediuatur, utpote si quis animo concipiatur flagitia, si alienarum cupiditate rerum flagret, libidine aestuet, si odio alterum prosequatur, eadem in vitiis non numeret, aut pro peccato habeat. In illa imperfectione naturae eiusque normae, ad aliud lumen minus caliginosum recurrentum esse concludit demum; quod, quid faciendum, quid fugiendum, quam carnem & sanguinem, distinctius revelauerit. De ista hypothesis, quid sit sentiendum, licet ex antecedentibus quodam modo sciri posit; tamen ne dicam scriptis insinualemur veritati reuelatae eiusque auctoritati, cuius causam agere velle videtur scriptor ille modo citatus, Theologi sine pari Roslochensis fidem in confirmationem sententiae nostrae appellare non pigebit: Ex ipsa natura & ratione, inquit

quit ille, non exteriora tantum mala opera, sed  
interiores animi motus etiam peccata esse indubita-  
tia argumentis probari potest ex ipsa etiam Scriptu-  
ra, quae dum ad eiusmodi nos reuocat, argu-  
mentis ex ratione petitis frequenter vitur. Alle-  
gantur a beato viro & doctore, gentium Doctoris  
loca alia atque alia ad euincendum id quod velit,  
praelertim Rom. I: 28. 29. &c. I. Cor. XI: 14. 15.  
&c. ea quae citata sufficere possunt. Quae de non  
contemendo naturae lumine, cuius, quem admo-  
dum scripturae, DEVS etiam auctor est habendus,  
praemittit, egregia sunt & legi possunt in contro-  
uersiarum Theolog. sylloge illius (\*) Exscribere  
& opellas huic atroxere vellemus libenter, nisi fa-  
cultates accisae suaderent breuitatem & institutum  
insuper ad alia vocaret.

### ¶. VII.

*In foro humano, quae in relatione ad legem sit  
conatus indeoles, expendit.*

**I**N foro diuino utroque conatum male agendum  
crimen inuoluere, imo peccatis annumerari gra-  
uissimum, supra ostensum est. DEO namque nil ma-  
gis inuisum, quam mens impura; & ius naturae  
adeo non modum ipsum & in quantum quid pec-  
catum fuerit: neque exitum modo, sed consilium

agen-

(\*) D. Jo. Fectius cit. lib. pag. 392.

agendi imprimis respicit, idemque legibus vindicandum, teste Cicerone. Ast num in foro etiam humano aestimationem inueniat, problema est, in quod hac paragraphe inquirere lubet. Heic quidem actus interni, quamdiu immanentes sunt, illud intra pectus volvuntur, adeoque in sensu aliorum non incurruunt, tamdiu neque perspicacia humana peruideri, non dijudicari & ad harmoniam ciuilem sanctione penali aliqua redigi possunt. Ad humanam enim potestatem plane non pertinet arbitrium decernendi legibus, quid quisque cogitat, quid sentiat aut velit. Est illud denegatum naturae nostrae in penetralia pectoris alieni descendere, & pericutari quomodo in illo orbe incognito sese habeat hominum affectio. Solus Deus, idemque vniuersi auctor & Dominus, qui corda & renes scrutatur, hoc iudicium citra damnum affectus & imprudentiae exercebit, utpote qui non sapientissimus modo ad ea noscenda, sed ad eadem expendenda quoque aequissimus, immo ad vindicandum quoque potentissimus est. Quis est, verba sunt Catonis apud Gellium (\*) qui sequuntur censat, quemquam poenam dare ob eam rem, quod arguitur male agere voluisse. Facta sola sunt censenda, atque in iudicium vocanda, VOLUNTATES NUDAE INANES QUE negligendas. Cui etiam respondeat vulgatum illud: Co-gitationis poenam nemo luit: quod siue cano proverbio effertur: Tandemna lupa tullfrit. affectus sine effectu non est. In Noct. Att. Libr. VII. c. 3.

non punitur, secundum proverbum. Quod tandem de actibus mere internis accipiendum, qui a voluntate immediate producuntur & in eandem iterum recipiuntur. Alium autem respectum hunc item actus induunt, si cum externis coniuncti fuerint, adeo ut in sensu aliorum quoque modo incurvant. In illa relatione certe, tum ad qualitatem cum quoque quantitatem delicti, maximum laepe momentum adferunt, non illi actus solum, in quibus ad factum conatus iam ordinatus sit; verum non raro certi quoque puta propensiones, quae casu quoque per confessionem sive voluntariam sive inuitam, aliis auscultantibus, nobis exciderint. De eiusmodi noxiam quaeritur: utrum inter delicta, quae sanctionem & animadversionem fori humani substant, referenda sit nec ne? Quatenus nemo laeditur, actio neque aliqua in foro humano eisdem intendi posse videtur. Potius sicut medicus ordinary non adhibet medicamenta ad coercendam inclinationem, quae mouet hominem ad excessum in cibo & potu quemque, sed saltem excessum & vitium ipsum: ita neque huius erit sub censuram vocare, nedum vindicare illas actiones, quae animum & cogitationes subire saltem; sed illas tantum, quas, manifestae impietatis & noxae nomine, leges damnauerint. quorum respicit etiam Sueticum illud: For ogiord gierung. botes oburit fā. Interim si ciuitatum non nullarum praxin attenderimus, constat non conscientiam & reticentiam criminis solum, sed & co-

D. Jo. Fediciano. IN. Vol. 1. fol. 100. 1. (\* gita-

gitationes ipsas, seu ut clarus memet exprimam,  
 motus mentis cum vitio secundos etiam punitos fuisse  
 identidem. Cuiusmodi exemplum esse potest  
 Glaucus apud Herodotum ille, de quo tale apud  
 JUVENALEM iudicium legitur. *Has patitur poenas pec-  
 candi sola voluntas.* Huc spectat senatus Parisiensis &  
 demum Regis ipsius, puta FRANCISCI I. durior ten-  
 tentia in virum quendam nobilem lata, qui cum  
 Franciscano monacho secreta confessione aperuisset  
 consilium perduellionis, quod aduerstis Regem ani-  
 mo olim agitauerat: prodita re postmodum, licet  
 poenitentiam, pro more sectae illius, multo ante  
 praestitisset, ultimo insuper suppicio tamen affici-  
 jussus fuit. A qua seueritate patris non multum  
 distabat HENRICI regis decretum, quo furiosum  
 aduersus semet gladium improviso stringentem, gla-  
 dio perire jussit; quamvis istud genus hominum  
 leges, tantum non omnes à poena excusent, quod  
 furore ipsi suo plus satis torqueantur. Scilicet Ica-  
 dalum alii praebet eiusmodi facti modo, modo lin-  
 guae temeritas, ad quod tollendum exemplo opus est.  
 Quod si vero non eminus solum cogitatio suscipiat  
 criminis perpetrandi, sed etiam intentio & conatus  
 animi, adeoque atrocior mali quaedam species sese  
 eminus repreäsentet, ordinata plane ad effectum  
 producendum; vtut scelus forte perfici & consumma-  
 ri non potuerit, easu, quod sufflamen iniecerit, in-  
 terueniente quocunque; vtique prout hi actus pro-  
 mere internis haberi nequeunt, sed externos simul  
     aperi

aperte includunt; ita neque iudicium & animaduersionem aliorum effugere possunt (\*). In illo casu iniurias praecauisse iustum magis erit, quam expectauisse. Summa enim professio stultitiae est non obuiam ire sceleribus cogitatis, sed manere, opperirique ut cum admissa & perpetrata fuerint, cum denique ubi quae facta, infecta fieri non possunt, puniantur. (\*\*) Atque haec quidem de CRIMINE CONATVS moraliter h. e. philosophice considerato, dicta sunt. quam illius in foro ciuili diuersimode variare soleat quantitas & aestimatio, parte altera, V. D. expendendum restat.

(\*) Eiudemodi conatus ad flagitium perpetrandum ordinatissimi exemplum esse potest conspiratio sulphurea Londonensis: & in proximo nebulonis illius, qui nocte concubia ardentes carbones musaco hospitis & ephori sui intrusit, sine sub sequente effectu tamen, quatenus in materiam subito inflammabilem non inciderint.

(\*\*) Gellius Noct. Att. VII. 3.



1570

MONSIEUR

Personne ne niera que la faiblesse, dont l'esprit des mortels est accable de fond en comble, ne se fasse voir en plusieurs manieres; mais pose mettre en fais, qu' elle se trahit elle mème le plus souvent par le moyen du desir des louanges, dont presque tous les hommes sont presses. Ce seroit faire tort a la Vertu, que de lui ôter son prix: certes, il n'y a point d' homme d' esprit qui n'en sombare d' accord. Ce pendant la vertu mème se fait d'autant plus reverer, qu' elle se montre modeste: & sur tout, c'est la véritable marque d'un noble genie, que de ne pas faire beaucoup de caquet de ce qui lui est avantageux. Mais que dirai-je? n'est il pas deja sur le point, que le mal prevaut sur le bien? & n'y-en a-t-il pas en foule, qui content pour rien tout ce qui vient de la Vertu & de la Raison, sans en rongir de honte? En effet, celus qui en douteroient encore n'auroit nulle connoissance du monde. Ne-anmoins tous les hommes aiment à être loués: & le borgne même s'eleve souvent au dessus des aveugles. C'est parceque trop peu d'hommes comprennent la nature de la vraye gloire: & qu'encore moins d' eux font leurs efforts pour en mettre le fondement suivant les bornes de la Raison. C'est sans contredit le comble des perfections humaines. C'est la terre très fertile qui porte en abondance les fruits les plus doux; même elle est le rayon éclatant de la lumiere éternelle, empreint sur l'ame humaine. Or, plus on decouvre son sein-très fecond en la cultivant avec soin: & plus on se sert de son flambeau, pour penetrer l' barriere des verités; plus on commence à goûter la douceur de la

la vertu, & plus en merite d'être loué. En vain je t'cherrois de faire un long discours pour indiquer combien vous avez réussi, MONSIEUR, dans les travaux communs à vous les fils de Minerve: & quels progrès vous avez fait dans l'étude de la Vertu. Car quant à l'un, votre conduite en porte elle même témoignage; & quant à l'autre, l'ouvrage d'esprit, que nous mettez au jour, en parle en des termes assez avantageux. Voici donc un beau sujet de vous donner des éloges. Ils nous sont dûs; & on vous les donne par tous. Ce pendant la modestie très rare, ayant trouvé en vous un constant séjour, m'empêche d'en faire ici quelque détail. C'est pourquoi je me borne à faire des prières ardentes, afin que l'Etre tout puissant vous accorde toutes sortes de bonheur, & vous fasse un jour moissonner des fruits dignes de votre merite, & proportionnés aux désirs de celui, qui ne cessera jamais d'être à son ordinaire, c'est à dire, avec beaucoup de plaisir

### MONSIEUR

vôtre très humble serviteur

SALOMON STICHAUS.

